Quaestionum Curtianarum specimen

Edmundus Hedicke

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM

Cum plures viri docti recentiore tempore emendandis Q. Curtii Rufi historiarum reliquiis operam navarent, eorum unus Fossius rem criticam infeliciter tractavit, alter Muetzellius certis novisque subsidiis destitutus eam accuratius explicare non ausus est, tertius Zumptius eam clarius perspexit omninoque intellexit, et quantopere superiores editores in ponendo emendationis fundamento errassent et quaenam optima et certissima artis criticae essent subsidia. Is enim primus codices in duas classes secrevit alteram integrorum alteram interpolatorum atque abiecta interpolatorum turba integros secutus est. Qua in re virum egregium et de Curtio unum omnium optime meritum non nunquam errasse atque conplura adhuc in Curtii libris restare quae nondum in pristinam integritatem restituta esse videantur: neque mirum est pro humana natura atque admodum corrupta scriptoris condicione neque fefellit harum rerum peritos. Ac ne Ieepius quidem, vir clarissimus, qui nuper in censura Curtii a Zumptio et Fossio editi (in Muetzellii libro menstruo gymnasiorum usibus destinato a. 1850 p. 51—65 et Iahnii annal. philol. a. 1852. vol. LXVI. p. 24—58) haud paucos locos

ingeniose ac feliciter correxit, rem ad finem usque perduxit. Quam ob rem haud inutilem a me laborem susceptum iri putavi, si huic scriptori operam meam qualemcunque inpenderem. Iam de emendandis Curtii libris dicturus ante omnia codicum manuscriptorum ratio scripturaeque auctoritas — quoniam hoc est fundamentum omnis emendationis — explicanda est.

Atque Q. Curtii Rufi historiarum reliquiae magno profecto numero codicum ad nos propagatae sunt: adservantur enim in bibliothecis Europae plus septuaginta. Sed ex magno illo numero codicum quattuordecim tantum paullo accuratius conlati sunt: tres Snakenburgiani (Leidensis, Vossiani primus et secundus) et undecim Zumptiani (Bernenses duo A et B, Florentini novem litteris A B C D E F G H I signatis), quorum quattuor (Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1) saeculi X vel XI, unus (Flor. B) saec. XIV, ceteri novem saec. XV esse videntur. Freinshemius quoque anno 1670 in libro qui inscribitur 'variarum in Curtium lectionum libellus' conlationes novem codicum in lucem emisit; sed cum hae conlationes tam neglegenter factae sint ut nihil certi inde discamus, rectius hos codices in numerum eorum qui adhuc latent referimus. Quae neglegentia nunc quam apertissime intellegi potest, cum Zumptii editioni alteri debeamus conlationem codicis Bernensis A, quem nomine codicis Petri Danielis (D) Freinshemius quoque adhibuit, sed ita ut non solum saepissime scripturam dissimularet, verum etiam eius lectiones aliis codicibus aliorumque Danielis codici ascriberet. Quamquam ne Snakenburgii quidem et Zumptii conlationes admodum bonae sunt:

nam Snakenburgius in conferendis codicibus multa incuria praetermisit, Zumptius autem qui bonis conlationibus usus est haud raro codicum lectiones dissimulavit, vel unum et alterum codicem in indicanda varietate neglegentia omittens vel perversas illas significationes 'codices plerique, multi et boni codices' et s. adhibens.

Omnes vero Curtii codices qui huc usque explorati sunt ab uno satis recenti mendosoque libro ortos esse iam Iosephus Scaliger intellexit. Declarant hoc apertissime quaedam depravationes quae vel in omittendo vel in addendo vel in inmutando positae omnibus codicibus communes sunt. Cuius rei pauca afferam exempla: atque primum si omissionis exempla quaesiveris sufficiant haec: IV, 10 (40) 17 '*non* esse talibus promissis inbuendas aures militum adfirmans.' — V, 1 (2) 12 'tam uberi ac pingui *solo sunt*.' — V, 1 (6) 45 'ceteri stipendium *duum* mensium.' — V, 2 (7) 6 'a maioribus *tradita*.' — V, 3 (10) 9 '*ubi* ut discederet.' — V, 11 (31) 10 '*equidem aeterna constitutione crediderim*.' — V, 13 (36) 11 'utpote *qui nihil* praecaveret.' — VI, 11 (43) 33 'cuius patrem *expertem* fuisse nisi crederent.' — VIII, 8 (26) 2 'non solum *audivi*, *sed ut* ipsi audiretis, expressi.' — X, 8 (26) 13 'oppidani, cum ipsos alimenta deficerent, urbe *excederent*.' Praeterea moneo, ut et duo libri priores interciderint et IV, 6 (28) 6. V, 3 (10) 9. 11 (38) 25. X, 1 (6) 45. 3 (11) 1. 3 (12) 14. 4 (13) 3 lacunae maioris momenti extent. Deinde eadem quoque interpretantium additamenta omnes codices nostros obsident, ut III, 11 (27) 15 'serie laminarum *ob id ge-*

nus graves.' — VI, 2 (5) 8 'tam celebre nomen *neptem Ochi* reveritus.' — VII, 5 (23) 27 '*tum Bessus perducitur.*' — VII, 7 (30) 9 'propius ipsum considere *deinde* amicos iubet.' — IX, 5 (19) 5 'nam cum *comminus* unum procul tot manus peterent.' — X, 5 (16) 12 'sine certo regis herede *sine herede regni* publicas vires ad se quemque tracturum.' Postremo permulta menda per omnes codices tradita sunt, quae casu in omnibus orta esse non possunt: III, 2 (4) 7 'idem vicies' pro 'Derbices.' — III, 12 (30) 1 'qui diu' pro 'quidem.' — III, 13 (35) 16 'facile argenti' pro 'facti argenti.' — III, 13 (35) 17 'sepulturae' pro 'superi ultores.' — IV, 5 (22) 9 'ab illo quod supererat iter facturus' pro 'bello quod supererat interfuturus.' — IV, 5 (23) 14 'Tenedon quoque receptaculum' pro 'Tenedo quoque recepta Chium.' — IV, 10 (42) 32 'in te' pro 'inquit.' — IV, 13 (51) 38 'hoc tandem' pro 'hortantem.' V, 1 (6) 38 'virorumque' pro 'virginumque.' — V, 4 (13) 8 'amne' pro 'alveo.' — VI, 9 (35) 29 'prospere' pro 'pro spe.' — VII, 4 (17) 21 'mox' pro 'Oxo.' — VII, 5 (23) 34 'nec mora' pro 'nemora.' — VIII, 10 (38) 30 'cumulis' pro 'cum ramis.' — IX, 3 (13) 19 'e regia qui' pro 'erigique.' — IX, 7 (27) 2 'quasi' pro 'casu.' — X, 2 (7) 5 'solidarum' pro 'solvendarum.' Sed pauca exempla elegisse satis est.

Unum illud exemplar quod interitum effugit (archetypum dicamus licet) non post saeculum nonum inventum esse intellegitur ex eo quod inde multiplicatis exemplis describi coeptum est. Atque vehementer suspicor etiam hunc scriptorem inperante Carolo Magno quo principe novum veterum litterarum studium exarsit

in Francia oblivioni esse ereptum, licet hoc certo demonstri non possit. Orellius quidem in prioris editionis Zumptianae censura (in Iahn. annal. philol. a. 1831 vol. II p. 46) Gallicam originem probari putavit quod in Flor. A inter paginas 115 et 116 quae ad supplendam lacunam vacuae supererant aeque antiqua manu interposita sint Gallica quaedam carmina in laudem Alexandri Magni quae incipiunt: 'Dit Salomon al primier pas Quant de son libre mot lo clas Est vanitatum vanitas etc.', cf. Bandin. catal. cod. bibl. Laurent. tom. II (V) p. 724[1]). Sed haec causa valde infirma est. Neque plus valet alia (de qua equidem cogitavi), quod aliquot locis vel in omnibus vel in antiquissimis Curtii codicibus litterae 'qu' et 'c' conmutantur [IV, 4 (18) 8 Leid. habet 'quohaerebat' pro 'cohaerebat.' — IV, 12 (45) 10 Leid. Voss. 1 Zumptii codices plerique 'Quossaeorum' pro 'Cossaeorum.' — V, 1 (2) 14 Leid. Voss. 1 Bern. A Flor. A 'quoeunt' pro 'coeunt. — VI, 10 (37) 3 Voss. 1 'exquogito' pro 'excogito.' — IX, 7 (27) 2 codices omnes 'quasi' pro 'casu']. Certius autem ex quibusdam codicum omnium mendis adfirmari potest, hunc librum langobardicis quas dicunt grammatici litteris exaratum fuisse singulis verbis non distinctis.

Ex uno igitur codice omnes nostri codices orti sunt: nihilo minus iidem saepissime inter se discrepant atque is dissensus eiusmodi est, ut in duo genera codices

[1]) Hoc carmen (nam unum est, non plura) ante aliquot annos editum esse a Paulo Heysio in libro qui inscribitur 'Romanische Inedita' (Berl. 1856) nuper me docuit Mauricius Hauptius, praeceptor dilectissimus et de me optime meritus.

dividi debeant. 'Neque enim haec est res' (Zumptii utor verbis), 'ut in aliis libris eadem verba accuratius, in aliis neglegentius exarata legantur, in his per incuriam omissa sint, quae in illis appareant, repetantur quae abesse debeant, quaeque alia neglegentiae solent argumenta haberi; sed ut in eodem orationis tenore alia verba aliis quasi substituantur, difficiliora et insolentiora tritis et communibus permutentur, alia explicandi causa adiiciantur, constructionum proprietas eludatur, multa denique, quae germanum latinitatis auctorem sapiant, expellantur inductis vulgaribus.' His de causis Zumptius codices in duas classes divisit alteram integrorum sive antiquiorum, alteram interpolatorum sive recensitorum. Atque numero codicum integrorum ascripsit hos: Flor. A B Bern. A Leid. Voss. 1, numero interpolatorum reliquos novem.

Haec erat Zumptii opinio quae plerisque viris doctis probata est: sed non defuerunt qui de ea dubitarent. Ut omittam Walchium, quippe qui in censura editionis Zumptianae (act. litter. Halens. a. 1829 no. 14—18) spreto discrimine codicum integrorum interpolatorumque veterem scriptores recensendi morem in Curtium reducere studuerit sed iam dudum explosus sit: nuper anno 1852 Fossius extitit qui in libello qui inscribitur 'quaestiones Curtianae' et codices recentiores (ita vocat interpolatos) et Flor. G codicum omnium quotquot accuratius novimus longe integerrimum atque plenissimum appellat. Quod vere ab ipso dictum esse ut demonstret, primum (p. 5—16) agit de lacunis enumerans eas quae et in omnibus codicibus et in integris et in

recentioribus extant. Deinde (p. 16—23) ostendit alio etiam vitiorum genere, sive litterarum syllabarumque omissione sive permutatione litterarum sive corruptione terminationum Curtii codices laborare iterum ascribens menda et omnium et optimorum et recentiorum codicum. Denique (p. 25—29) Fossius dicit de additamentis in codicibus Curtianis male adiectis, quà in re non negat additamenta prorsus respuenda ac reicienda extare, at neque multa illa neque magni esse momenti, sed talia, qualia in omnibus codicibus fere inveniantur putat: quod ut demonstret etiam hoc loco apponit additamentorum exempla. Sed hoc modo nihil aliud proficimus nisi optimos quoque Curtii codices esse valde corruptos: quod autem damonstrare debebat ad vindicandam integritatem codicum recentiorum, quo modo dissensus codicum meliorum et deteriorum casu non consulto natus esset, praetermisit Fossius. Neque hoc ullo modo demonstrari potest, nam foedissime interpolati sunt hi codices. Ascribam non nulla exempla quibus intelligi puto dissensum codicum deteriorum consulto non casu factum esse: III, 3 (6) 5 Zumptius nuper edidit: 'quidam vera augurabantur,' codices valde inter se discrepant: Bern. A Leid. Voss. 1 Flor. C: 'quidam non augurabantur,' Flor. D G H Bern. B Voss. 2 'quidam non ita augurabantur' Flor. B: 'quidam vero augurabantur,' Flor. E F I: 'quidam vero ita augurabantur'; quam lectionum diversitatem ex scriptura codicum optimorum (Bern. A Leid. Voss. 1, nam Flor. A incipit demum a verbis III, 10 (25) 6 'vix gladio futurum opus et q. s.') consulto ad sensum aliquem eruendum

non casu ortam esse nemo non videt: Curtius enim scripsit 'quidam non: augurabantur quippe.' Porro IV, 1 (6) 37 Zumptius scripsit 'Chium': codd. Bern. A Leid. Voss. 1 Flor. A habent 'hium', Flor. B 'humi', Flor. DEFGHI 'humili', Bern. B 'exiguo vel humili.' IV, 3 (13) 11 recte editur: 'nec perseveraret an abiret satis certo,' codices variant: Bern. A Voss. 1 'nec perseveraret an abiret satis certo,' Leid. Flor. AB Voss. 2 'ne perseveraret an abiret satis certo,' Flor. EH Bern. B 'perseveraretne an abiret satis incerto,' Flor. DFI 'utrumne perseveraret an abiret satis certo,' Flor. G 'utrumne perseveraret an abiret non satis certo.' IV, 10 (40) 10 Zumptius ex codd. Leid. Voss. 1 Bern. AB Flor. ABCH edidit: 'sed Persarum moratores erant,' in reliquis codicibus legitur 'sed Persarum exploratores erant.' VIII, 1 (5) 52 codd. Bern. A Leid. Voss. 1 Flor. AB recte tuentur haec: 'i nunc, inquit, ad Philippum et Parmenionem et Attalum,' codices deteriores partim (Flor. DFI) habent: 'nunc, inquit, ad Philippum perge et Parmenionem et Attalum,' partim (Flor. CEGH Bern. B Voss. 2): 'nunc, inquit, ad Philippum et Parmenionem et Attalum perge.' Sufficiant haec exempla quibus, opinor, interpolatio et gradus interpolationis codicum deteriorum intellegitur.

Sed paullo fusius de cod. Flor. G, quem Fossius l. l. p. 16 'codicum omnium quotquot accuratius novimus integerrimum atque plenissimum' vocat, dicendum est, praesertim cum Zumptius, licet hunc codicem praef. p. XVI inter interpolatos enumeret dicatque in Flor. G correctoris ingenium manifestius quam in reliquis libris elucere, tamen eundem in adnotationibus haud raro ab

interpolatis secernat (cf. adn. ad VI, 6 (23) 26. 7 (28) 21. 8 (32) 25. 9 (33) 11. 9 (36) 31. 10 (37) 2. 11 (43) 27. VII, 2 (8) 20 etc.). Atque sane permulta menda quae in ceteris codicibus extant in eo egregie correcta sunt recteque editores eius lectiones receperunt, quem ad modum (ut ex uno capite VI, 6 (20—23) exempla afferam) Zumptius recte e scriptura cod. Flor. G edidit VI, 6 (20) 4 'ne omen quidem' pro reliquorum codicum scriptura 'nemo non quidem,' § 12 'otium interpellandum erat bello' pro 'otium interpellandum erat bellum,' § 20 'litterae afferuntur a finitimis satraparum' pro 'litterae afferuntur a finibus satraparum.' At his locis cod. Flor. G non genuinam archetypi scripturam servavit, sed librarius eius sagacissimus veram lectionem coniectura restituit. Evincuntur haec (si omittam additamenta illa e Iustino Curtio intrusa IV, 11 (44) 16. 21. 12 (46) 21 quae omnibus codicibus interpolatis adhaerent, ab integris absunt) aliquot locis, quibus cum codicum optimorum lectio corrupta esset vel corrupta esse videretur, librarius cod. Flor. G verba tralaticia inmutavit ad sensum aliquem eruendum, non numquam etiam ad corrigendum Curtii stilum ex praecepto vulgaris grammaticae. Ita III, 3 (6) 5 pro codicum optimorum lectione 'quidam non augurabantur' in Flor. G extat 'quidam non ita augurabantur.' III, 12 (31) 13 cum librarius Flor. G verba 'cum cura sepultis militibus' non intellegeret, scripsit 'cum curam sepeliendis militibus impenderet.' IV, 1 (5) 30 in codicibus optimis leguntur haec: 'ad cuius famam Aegyptii, vana gens et novandis quam gerendis aptior rebus, ex suis quique vicis urbibusque,

hoc ipsum, concurrunt ad delenda praesidia Persarum': in Flor. G ad verba insana 'hoc ipsum' (nam Zumptii explicationem verborum perversam esse neminem fugit) quodam modo corrigenda scriptum est 'ad hunc ipsum.' IV, 3 (13) 11 cum structura verborum quae in codicibus optimis extat: 'nec perseveraret an abiret satis certo' audaciorem putaret, scripsit: 'utrumne perseveraret an abiret non satis certo.' Paullo post [IV, 3 (13) 12] in Flor. G scriptum est: 'triremes omnes,' sed sententia docet codicum optimorum lectionem 'tris omnino' unicam veram esse. Sed iam taedet plura exempla adferre: id solum moneo, quod patronus cod. Flor. G, Fossius ne uno quidem horum locorum clientis testimonium in textum recipere ausus est. Sine dubio interpolatus est cod. Flor. G, atque foedissime interpolatus: nam non solum verba in integris codicibus gravius adfecta et de ductu litterarum et de sensu qui requiritur librarius Flor. G emendavit, sed etiam integra ut orationem elegantiorem vel corrupta ipso iudice rectiora redderet, inmutavit. Huius rei ex uno libro quarto adferam exempla: IV, 1 (1) 3 'iam rex his cum' pro 'quibuscum.' — 1 (2) 8 'quantacunque totam Macedoniam' pro 'quantamcunque tota Macedonia.' — 1 (2) 9 'patria' pro 'patrio.' — 1 (2) 14 'scribis' pro 'scribes.' — 1 (4) 22 'vestis quam' pro 'vestis quem.' — 1 (5) 29 'at' pro 'atque.' — 1 (5) 30 'ad hunc ipsum' pro 'hoc ipsum.' — 1 (5) 31 'agebant' pro 'agebantur.' — 1 (6) 37 'humili' pro 'Chium.' — 2 (7) 3 'ipso' pro 'ipsos.' — 2 (7) 4 'vocant' pro 'vocent.' — 2 (8) 8 'extitit' pro 'existit.' — 2 (9) 14 'destinasset' pro 'destinassent.' —

2 (10) 19 'montis' pro 'modicam.' — 2 (11) 21 'aquam eminebat' pro 'aqua eminebat.' — 3 (13) 7 'referebat' pro 'referebant.' — 3 (13) 8 'eam cetera opera tuebantur' pro 'ea cetera opera tuebatur.' — 3 (13) 11 advectis' pro' advectus.' — 3 (13) 12 'triremes omnes' pro 'tris omnino.' — 3 (14) 15 'milites tegebantur' pro 'miles tegebatur.' — 3 (14) 17 'acriori' pro 'acriore.' — 3 (15) 21 'somnium' pro 'somnum.' — 3 (15) 22 'maiori' pro 'maiore.' — 4 (19) 12 'in manus' pro 'manibus.' — 4 (19) 17 'affixa' pro 'affixi.' — 4 (20) 19 'mense quam' pro 'mense quo.' — 5 (22) 9 'dederant' pro 'dedebant.' — 5 (22) 10 'Phoeniciae' pro 'Phoenices.' — 5 (24) 20 'postero' pro 'postera.' — 5 (24) 22 'quattuor' pro 'duorum.' — 6 (25) 2 'Babilonem' pro 'Babyloniam.' — 6 (28) 23 'incautus' pro 'incautius.' — 6 (28) 26 'est circumdatus' pro 'quo adducto.' — 6 (28) 26 'alias virtutes etiam in hoste miratus' pro 'alias virtutis etiam in hoste mirator.' — 7 (30) 10 'sequenti' pro 'sequente.' — 7 (30) 13 'ad haec' pro 'ad hoc.' — 7 (30) 13 'omnia' pro 'ora.' — 7 (30) 14 'excussere' pro 'excusserunt.' — 7 (31) 18 'versi' pro 'versam.' — 7 (31) 22 'tempore' pro 'tepore.' — 7 (32) 30 'corrumpit' pro 'corrupit.' — 8 (33) 6 'terram' pro 'terris.' — 8 (33) 6 urbem futuris muris' pro 'urbis futurae muros.' — 8 (34) 8 'in ripa' pro 'in ripam.' — 8 (34) 12 'victoria' pro 'victoriam.' — 9 (35) 2 'quantum strenuo' pro quam cum strenuo.' — 9 (35) 2 'Babilona' pro 'Babyloniam.' — 9 (35) 5 'direxerant' pro 'direxerat.' — 9 (35) 5 'inter gladios rotarum' pro 'inter radios rotarum.' — 9 (35) 5 'amputavere' pro 'amputaturae.' — 9 (38) 23 'ripam' pro 'ripa.' — 10 (39) 3 'adire'

pro 'adiri.' — 10 (39) 3 'abdicare' pro 'abdicari.' — 10 (40) 13 'ipsi' pro 'ipsa.' — 10 (40) 21 'ipse' pro 'ipsa.' — 10 (42) 29 'exaudiebantur' pro 'exaudiebatur.' — 10 (42) 29 'dubitabat' pro 'dubitavit.' — 11 (44) 12 'censerem' pro 'censere.' — 11 (44) 12 'permutes' pro 'permutat.' — 11 (44) 19 'Euphratem' pro 'Euphraten.' — 12 (45) 4 'cum Scithis' pro 'cum citis.' — 12 (45) 4 'Menidam' pro 'Menidan.' — 12 (45) 5 'recipit' pro 'recepit.' — 12 (45) 5 'adventum huius nuncians' pro 'adventus huius nuntius.' — 12 (45) 11 'applicaverat' pro 'applicuerat.' — 12 (45) 11 'tenebat' pro 'tenebant.' — 12 (46) 14 'internitentis' pro 'internitens.' — 12 (46) 16 'constiterant' pro 'consisterent.' — 12 (46) 19 'planities' pro 'planitie.' — 13 (47) 4 'adhuc' pro 'ad hoc.' — 13 (47) 7 'assentiebant' pro 'assentiebantur.' — 13 (49) 25 'dum' pro 'quam.' — 13 (50) 26 'agmina' pro 'agema.' — 13 (50) 26 'cornu' pro 'cornus.' — 13 (51) 33 'praecepit' pro 'praecipit.' — 14 (52) 2 'fuga' pro 'ex fuga.' — 14 (52) 2 'tertio iam die' pro 'tertium iam diem.' — 14 (52) 4 'Macedones' pro 'Macedonas.' — 14 (52) 6 'quot' pro 'tot.' — 14 (52) 8 'instructi' pro 'instincti.' — 15 (56) 8 'et Philippo' pro 'ut Philippo.' — 15 (56) 11 'veritatis' pro 'verita.' — 15 (59) 29 'laevumque tuentes' pro 'laevumque cornu.' — 15 (59) 29 'destituerant' pro 'destituerat.'— 16 (60) 3 'processerat' pro 'praeceperat.'— 16 (60) 7 'Babiloniam' pro 'Babylona.' — 16 (61) 13 'dum avide' pro 'cum avide.' — 16 (61) 14 'deverterant' pro 'diverterant.' — 16 (62) 16 'praecipitaverunt' pro 'praecipitaverant.' — 16 (62) 16 'aut fuga' pro 'ac fuga.' — 16 (62) 18 'hebentia' pro 'hebetia.' — 16 (62)

20 'pauci enim' pro 'pauci eum.' — 16 (63) 33 'dignos' pro 'dignissimos.' Deinde vocabula synonyma verbaque simplicia et conposita inter se conmutavit: cf. IV, 1 (2) 12 'licitamini' pro 'licemini.' — 2 (10) 19 'excreverat' pro 'creverat.' — 2 (10) 20 'portare' pro 'gestare.' — 3 (14) 14 'coniunxerant' pro 'iunxerant.' — 3 (16) 24 alligaverant' pro 'illigaverant.' — 4 (17) 5 'perceperant' pro 'praeceperant.' — 4 (19) 10 'requiem' pro 'quietem.' — 4 (19) 12 'quod' pro 'quicquid.' — 4 (19) 12 fors' pro 'sors.' — 6 (26) 9 'admovendis' pro 'movendis.' — 6 (26) 11 'amisit' pro 'omisit.' — 7 (29) 1 'excepissent' pro 'recepissent.' — 7 (30) 9 'defluxit ad Meotim' pro 'descendit ad Mareotin.' — 8 (33) 2 'aedificandae' pro 'exaedificandae.' — 8 (34) 13 'tradidit' pro 'reddidit.' — 10 (40) 10 'exploratores' pro 'moratores.' — 10 (40) 13 'praeciperet' pro 'praeriperet.' — 10 (40) 13 'accendit' pro 'incendit.' — 10 (41) 23 'necessitates' pro 'necessitudines.' — 12 (46) 14 'elati' pro 'illati.' — 12 (46) 24 'secessit' pro 'successit.' — 14 (52) 4 'ferre' pro 'afferre.' — 15 (56) 4 'extra' pro 'ultra.' — 15 (56) 5 'observabantur' pro 'asservabantur.' — 15 (56) 11 'consedit' pro 'sedit.' — 15 (58) 21 'adversosque' pro 'aversosque.' — 15 (58) 21 'converti' pro 'obverti.' Addidit denique librarius Flor. G — ut omittam quot locis vocum scriptoris ordinem ex arbitrio turbaverit — verba ut vel Curtii stilum corrigeret vel lacunam sive veram sive fictam expleret vel nulla perspicua de causa, ut IV, 1 (2) 11 'rex Xerxes' pro 'Xerxes.' — 1 (4) 22 'cave ne' pro 'cave.' — 1 (5) 27 'hostis erat' pro 'hostis.' — 2 (10) 16 'et exaestuare' pro 'exaestuare.' —

3 (13) 8 'a latere' pro 'latere.' — 3 (13) 11 'utrumne perseveraret an abiret non satis certo' pro 'nec perseveraret an abiret satis certo.' — 3 (16) 24 'imminens necessitas' pro 'necessitas.' — 5 (21) 8 'Lydiam ignorare' pro 'Lydiam.' — 6 (25) 3 'procul a' pro 'procul.' — 6 (28) 26 'tunc Alexander: non ut voluisti, inquit, Bethi' pro 'non ut voluisti, inquit.' — 6 (28) 27 'contumaci continuato' pro 'contumaci.' — 6 (28) 27 'quicquid tormentorum' pro 'quicquid.'. — 7 (31) 22 'quem Solis' pro 'Solis.' — 7 (32) 27 'omnes interfectores' pro 'omnes.' — 10 (39) 4 'praetorio iubet' pro 'praetorio.' — 10 (39) 5 'ab ipsis' pro 'ipsis.' — 10 (40) 11 'simul speculatum' pro 'speculatum.' — 10 (40) 20 'parentis suae' pro 'parentis.' — 10 (42) 26 'didici enim' pro 'didici.' — 10 (42) 32 'summotisque' pro 'summotis.' — 11 (43) 2 'tua iustitia' pro 'iustitia.' — 11 (43) 9 'facilius est' pro 'facilius.' — 11 (44) 16 'nuntiate Dareo: gratiarum actionem apud hostem supervacaneam esse' pro 'nuntiate Dareo' [ex Iustin. XI, 12, 11]. — 11 (44) 21 'fortuna est. Et me in Asiam non venisse, ut ab aliis acciperem, sed ut aliis darem. Si secundus et non par mihi vellet haberi, facerem forsitan quae petit. Ceterum nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna salvo statu terrarum potest habere. Proinde aut deditionem hodie aut in crastinum bellum paret: nec aliam sibi quam expertus est polliceatur fortunam' pro 'fortuna est' [ex Iustin. XI, 12, 15 sq.]. — 12 (46) 21 'movebat eum multitudo hostium respectu paucitatis suae gentis, sed interdum reputabat quantas res cum hac gente gessisset quantosque populos fudis-

set. Itaque cum spes metum vinceret, periculosius bellum differre ratus ne desperatio suis cresceret dissimulato metu' pro 'itaque dissimulato metu' [ex Iustin. XI, 9, 2]. — 13 (47) 9 'me meae' pro 'me.' — 13 (48) 13 'imperii deos' pro 'imperii.' — 13 (48) 14 'in ea iam' pro 'in eam.' — 13 (49) 21 'nempe semper' pro 'nempe.'— 14 (53) 9 'pro libertate' pro 'libertate.' — 14 (54) 14 'vanam et' pro 'vanam.' — 14 (55) 23 'ad vos extendere' pro 'hos tendere.' — 15 (56) 12 'at incertum' pro 'incertum.' — 15 (56) 13 'qui sarissophoros' pro 'sarissophoros.' — 15 (57) 17 'arma tamen' pro 'arma.' — 16 (60) 1 'quod Parmenio' pro 'Parmenio. — 16 (60) 1 'dictum est' pro 'dictum.' — 16 (62) 17 'improvidae fugae' pro 'improvide.' Quod autem Fossius (l. l. p. 23) dixit Modianam editionem i. e. Modii codices cum Flor. G saepissime concordare minimi est momenti. Nam Modius quamquam novam sane melioremque viam in Curtio emendando ingressus est, tamen non tam integriores codices quam universe codices secutus est, dum ceteri editores Aldi maxime aliorumque typothetarum inventa praetulerunt. Codices enim interpolatos Modium secutum esse ex multis locis adparet, ut e III, 2 (4) 5. IV, 6 (27) 18. V, 4 (13) 7. VI, 6 (21) 11. VII, 2 (9) 22. 3 (12) 9. VIII, 1 (4) 34. 5 (19) 17. 10 (36) 18. 11 (40) 14. IX, 4 (15) 8. 6 (24) 12. Ac ne Zumptium quidem qui eum iusto maioribus laudibus tollit videtur res fugisse, nam ad V, 1 (2) 12 haec adnotat: 'Modium necesse est codicibus usum esse a nostris longe diversis, si verum est in illis inventum esse *iacens tam uberi et pinguis soli*, item omisso verbo

sunt, et ad IX, 5 (21) 15: 'Modius, cuius membranae in hac parte operis interpolatae videntur, ***subinde Timaeus*** edidit, quod in uno Flor. G legitur.' Quae cum ita sint, Zumptium cum cod. Flor. G codicum deteriorum numero ascriberet rectissime iudicasse intellegitur: nam Flor. G ex interpolatis est, quamquam a reliquis secerni et in emendandis Curtii libris ubicunque codices optimi nos deserunt adiri debet, cum haud raro sagacissimus eius corrector veram scripturam invenerit. Quod autem Flor. G saepissime a ceteris codicibus interpolatis ad integros recedit et contra a melioribus ad deteriores, ex eo fortasse conicere licet eum ex duobus codicibus altero integro altero interpolato esse descriptum, certe non ex eodem codice e quo codices deterioris familiae fluxerunt descriptus est, nisi forte archetypum illud deterioris familiae quod nunc ignoratur antea ad codicem melioris familiae a quodam erat correctum.

Iam accedo ad alterum caput quod est de auctoritate cod. Flor. B. Zumptius enim hunc codicem inter optimos recensuit — nam quod III, 4 (11) 11 eum libris deterioribus ascripsit errore factum esse videtur —, sed iam Icepius, vir ingeniosissimus, in censura editionis Zumptianae (l. l. p. 54) de hoc iudicio movit dubitationem. Atque rectissime dubitatur, cum manifesta interpolationis indicia eum obsideant. Nam licet cod. Flor. B paullo antiquior et minus mendose descriptus sit quam codices deterioris familiae, tamen aut interpolantis librarii vestigia habere aut ex exemplari iam interpolato eodem modo quo longe frequentius in de-

teriore codicum familia factum est fluxisse eum comparatione aliquot locorum facta manifeste adparet. Iam supra attuli ad demonstrandam interpolationem codicum deterioris familiae III, 3 (6) 15, ubi pro optimorum codicum scriptura 'quidam non augurabantur' a librariis partim 'quidam non ita augurabantur,' partim 'quidam vero ita augurabantur,' partim 'quidam vero augurabantur' (Flor. B) scriptum est. Neque minus interpolationem probat IV, 1 (6) 37 (quem locum item supra ascripsi), ubi librarius cod. Flor. B, cum in codicibus optimis pro voce 'Chium' traditum esset 'hium' ad vocabulum quodam modo restituendum scripsit 'humi.' Porro IV, 16 (62) 20 in Flor. B aliisque codicibus deterioris notae scriptum est 'nullum eo die maius periculum accidit': qua in lectione 'accidit' correctori debetur, nam codices optimi exhibent 'addidit,' quod in 'adiit' mutandum erat ut Zumptius recte fecit. Item patet interpolatio V, 1 (6) 43, ubi communis deteriorum codicum fons codici Bern. A simillimus habuisse videtur: 'duo milia similitum,' quod deinde et in Flor. B et in codicibus deterioribus in 'duo milia similiter' corruptum est, sed scribendum erat 'duo milia iis militum.' VI, 3 (7) 3 Curtius scripserat 'orsum bellum ab Hellesponto,' sed in codice archetypo facili librariorum errore 'orsum bellum ad Hellesponto' extabat, quod mendum librarii codicum optimorum fideliter servarunt, sed librarii codicum deteriorum (praeter Flor. G in quo genuinum ut saepe coniectura restitutum est) ut 'ad' praepositionem cum accusativo coniungerent mira perversitate scripserunt 'orsum bellum ad Hellespontum.' VIII, 14 (47) 9

cum codicum integrorum scriptura 'pauci tenus hostium exacti' corrupta esse videretur, a librario cod. Flor. B scriptum est 'pauci tamen hostium exacti': qua de mutatione eiusque parente Modius ira incensus exclamat 'o homines pistrino dignos, non tabernis ubi litterae tractantur.' X, 2 (10) 21 codices probi exhibent: 'sed ut cum ingratissimis oportet agere decrevi': quae scriptura cum non sine causa Italis displiceret, a librariis Flor. BG ita correcta est 'sed ut cum ingratissimis ut oportet agere decrevi,' genuina autem est quam Rubenius invenit 'sed ut cum ingratissimis operis agere decrevi.' Sed ut diligentius rem tractem, exempla interpolationis ascribam ex omnibus Curtii libris conlecta et in unum quasi conspectum data: quorum quamquam non nulla levia ac futilia haberi possunt, tamen ne haec quidem spernenda esse accuratius rem consideranti videbuntur. Ac primum quidem haud paucis locis librarius cod. Flor. B verba tralaticia inmutavit, vel ut conrupta emendaret, vel ut vulgares verborum formas et constructiones insolentioribus substitueret, vel denique nulla perspicua de causa: III, 1 (2) 18 'solvatur' pro 'solvantur.' — 1 (3) 20 'quinquaginta' pro 'quingenta.' — 1 (3) 20 'ducentas missas' pro 'ducenta missa.' — 1 (3) 20 'imperat' pro 'imperatae.' — 2 (4) 2 'Babiloniam' pro 'Babylona.' — 2 (4) 4 'quibus' pro 'quis.' — 2 (4) 7 'armati erant' pro 'armaverant.' — 2 (5) 13 'didicere' pro 'didicerunt.' — 3 (6) 1 'quibus' pro 'quis.' — 3 (6) 3 'Babiloniam' pro 'Babylona.' — 3 (6) 5 'vero' pro 'vera.' — 3 (6) 6 'fert' pro 'fere.' — 3 (7) 11 'albentes' pro 'albae.' — 3 (7) 16 'alter in alterutrum est belli' pro 'alterum Nini,

alterum erat Beli.' — 4 (11) 11 'subeuntes percellerent' pro 'in subeuntes propellerent.' — 5 (12) 7 'penetrassent' pro 'penetrarent.' — 5 (13) 15 'illis' pro 'ipsis.' — 5 (13) 16 'arbitrabantur' pro 'arbitrabatur.' — 6 (14) 6 'vestro' pro 'nostro.' — 6 (15) 8 'destinata' pro 'destinatus.' — 8 (19) 2 'abiret' pro 'at ille.' — 10 (25) 4 'animus aptus' pro 'animis aptum.' — 11 (28) 18 'abruti' pro 'abrupti a.' — 12 (30) 3 'excubat' pro 'excubabat.' — 12 (30) 7 'revocaret' pro 'renovaret.' — 13 (34) 11 'cernebantur' pro 'eruebantur.' — 13 (35) 16 'talenta' pro 'talentum.' — 13 (35) 16 'trecenta' pro 'sexcenta.' — 13 (35) 16 'quinquaginta' pro 'quingenta.' — IV, 1 (3) 18 'per ignem' pro 'per ignes.' — 1 (4) 23 'percunctabatur' pro 'percontabatur.' — 1 (6) 37 'humi' pro 'Chium.' — 2 (8) 8 'manentes' pro 'manantes.' — 2 (11) 24 'abhorti' pro 'adorti.' — 3 (13) 10 'occultosque' pro 'occultoque.' — 4 (20) 19 'quocunque' pro 'quodcunque.' — 5 (22) 12 'item' pro 'iidem.' — 7 (30) 13 'ad haec' pro 'ad hoc.' — 7 (30) 14 'excepere' pro 'excipere.' — 7 (32) 28 'quaesierit' pro 'quaesierunt.' — 7 (32) 30 'corrumpit' pro 'corrupit.' — 8 (33) 4 'peregrinationis' pro 'peregrinationi.' — 8 (34) 8 'admirante' pro 'adiuvante.' — 8 (34) 10 'ad eius' pro 'ad cuius.' — 10 (42) 29 'exaudiebantur' pro 'exaudiebatur.' — 12 (45) 11 'Parthorum' pro 'Parthyaeorum.' — 13 (49) 21 'admodum' pro 'admovit.' — 14 (55) 22 'principem' pro 'principes.' — 16 (60) 1 'antea' pro 'ante.' — 16 (60) 7 'Babilonem' pro 'Babylona.' — 16 (62) 20 'accidit' pro 'adiit.' — V, 1 (3) 17 'Babilonem' pro 'Babylona.' — 1 (3) 18 'famaque in' pro 'famaque etiam.' — 3 (12) 16 'deinde' pro 'dein.' —

10 (28) 9 'animis quantum' pro 'animis quam.' — 13 (37) 20 'quaeque prenderent' pro 'quemque prenderent.' — 13 (37) 20 'extabat' pro 'existebat.' — VI, 1 (2) 12 'agmen' pro 'Agin.' — 1 (3) 19 'spiritum' pro 'spiritus.' — 3 (7) 3 'ad Hellespontum' pro 'ab Hellesponto.' — 3 (7) 3 'imponentes' pro 'impotentis.' — 3 (9) 16 'transcurrimus' pro 'transcucurrimus.' — 5 (15) 10 'xx' pro 'xc.' — 5 (17) 21 'aliquantulum' pro 'aliquantum.' — 7 (27) 25 'percunctatus' pro 'percontatus.' — 10 (39) 22 'equis' pro 'ecquis.' — 11 (41) 3 'somno' pro 'sono.' — VII, 1 (2) 14 'proximi' pro 'proxime.' — 3 (14) 23 'dedisset' pro 'desisset.' — 4 (15) 4 'situ aut' pro 'situ invia.' — 4 (16) 8 'alioquin' pro 'alioqui.' — 5 (22) 26 'animos' pro 'animi.' — 5 (23) 27 'relictis' pro 'electis.' — 6 (26) 12 'Penidam' pro 'Berdam.' — 6 (26) 13 'et quos' pro 'et quae.' — 6 (27) 20 'et quos' pro 'et quae.' — 6 (27) 20 'claritatem' pro 'claritate.' — 6 (27) 21 'possit delectos' pro 'iussit et deleri.' — 7 (30) 10 'quo' pro 'quod.' — 9 (36) 5 'dilectis' pro 'delectis.' — 11 (41) 6 'pennas' pro 'pinnas.' — 11 (43) 20 'voce' pro 'vice.' — VIII, 2 (6) 12 'sepulturam' pro 'sepultura.' — 2 (8) 20 'claudebantur' pro 'claudebat.' — 6 (24) 28 'consilium' pro 'concilium.' — 9 (30) 5 'ab oriente eius exiens' pro 'ab oriente fluvius eximius.' — 9 (30) 13 'cur nisi se natura' pro 'aperuit se naturae.' — 10 (34) 2 'adversarentur' pro 'aversarentur.' — 10 (36) 17 'adversatus' pro 'aversatus.' — 11 (39) 3 'operis' pro 'operae.' — 11 (39) 7 'aspersis' pro 'asperis.' — 11 (39) 8 'occupasset' pro 'occupavisset.' — 11 (40) 10 'Clarus' pro 'Charus.' — 11 (41) 23 'mulctati' pro 'mulcati.' — 13 (46) 21

'Attalum et' pro 'Attalum etiam.' — 14 (47) 9 'tamen hostium' pro 'telis hostium.' — IX, 1 (6) 32 'tamen ex his' pro 'tum ex his.' — 1 (6) 36 'Phegelas' pro 'Phegeus.' — 2 (9) 20 'videmus' pro 'videamus.' — 2 (10) 28 'gloriam qua' pro 'gloriamque.' — 4 (14) 4 'hic' pro 'hinc.' — 4 (17) 23 'aequaret gloriam' pro 'aequaretque gloria.' — 5 (22) 26 'nunquam' pro 'non quam.' — 6 (25) 20 'quam' pro 'quem.' — 7 (28) 15 'lectos' pro 'lectis.' — 8 (32) 16 'Philoton' pro 'Pithon.' — 9 (34) 4 'nec naturam' pro 'ne naturam.' — 9 (35) 9 'statuta' pro 'stata.' — 9 (35) 9 'adversus' pro 'adversum.' — 9 (37) 27 'statutam' pro 'statam.' — 10 (41) 21 'rex esset' pro 'rex est.' — X, 1 (5) 42 'quosdam' pro 'quondam.' — 1 (6) 43 'accepit' pro 'accipit.' — 2 (7) 3 'consilio' pro 'concilio.' — 2 (8) 10 'disceret' pro 'discerneret.' — 2 (10) 24 'sit' pro 'esset.' — 3 (11) 4 'cognoscerent' pro 'cognosceret.' — 5 (18) 30 'Olympiadem' pro 'Olympiada.' — 6 (19) 8 'hoc ne' pro 'hocine.' — 6 (20) 13 'tandem' pro 'tum.' — 6 (20) 13 'Roxanis' pro 'Roxanes.' — 6 (20) 18 'expetebat' pro 'expectabat.' — 6 (21) 20 'desierint' pro 'dii sierint.' — 6 (21) 21 'dubitabitis' pro 'dubitetis.' — 7 (23) 12 'quisquam' pro quicquam.' — 8 (26) 11 'babilone' pro 'Babylona.' — 8 (27) 21 'suppressa' pro 'suppressam.' — 9 (28) 2 'collicere' pro 'collegere.' — 10 (30) 4 'et vis' pro 'etiam ius.' — 10 (31) 17 'virum' pro 'virus.' — 10 (31) 19 'quique' pro 'quicunque.' — 10 (31) 19 'in' pro 'etiam.' Deinde synonyma verbaque simplicia et conposita inter se conmutavit, ut III, 4 (9) 3 'sequi' pro 'exequi.' — 4 (11) 13 'rati' pro 'moniti.' — 6 (14) 5 'existimatione'

pro 'aestimatione.' — 6 (14) 7 'mutato seu versato' pro 'versato.' — 8 (21) 23 'et proelio' pro 'ac proelio.' — 11 (27) 8 'vertit' pro 'avertit.' — 11 (27) 8 'rumpunt' pro 'irrumpunt.' — IV, 1 (2) 12 'licitamini' pro 'licemini.' — 3 (12) 3 'percepto' pro 'concepto.' — 4 (17) 5 'eripuisse' pro 'abripuisse.' — 4 (17) 5 'perceperant' pro 'praeceperant.' — 6 (28) 21 'procurato' pro 'percurato.' — 8 (34) 8 'admirante' pro 'adiuvante.' — 10 (41) 24 'incitamentum invitamentum' pro 'invitamentum.' — V, 6 (21) 13 'intoniti' pro 'attoniti.' — 9 (27) 16 'adducere' pro 'abducere.' — VI, 6 (16) 14 'velut de' pro 'velut ex.' — 10 (37) 6 'insequebatur' pro 'sequebatur.' — 11 (43) 28 'accersi' pro 'accersiri.' — VII, 3 (12) 9 'accipiunt' pro 'admittunt.' — 5 (21) 13 'eos' pro 'ipsos.' — 5 (22) 21 'nam' pro 'namque.' — VIII, 4 (14) 6 'fatigati' pro 'defetigati.' — 9 (32) 28 'gravatur' pro 'oneratur.' — 10 (38) 34 'processit' pro 'venit.' — IX, 1 (5) 24 'excresset vel excellet' pro 'excellet.' — 4 (14) 7 'incendebant' pro 'delebant.' — 7 (28) 13 'accipere' pro 'excipere.' Accedo ad ordinem verborum, in quibus conlocandis saepe ab integris codicibus discedit: III, 8 (21) 22 'patrio more facibus' pro 'facibus patrio more.' — 11 (27) 15 'pariterque equites' pro 'pariter equitesque.' — 12 (32) 25 'famulam tuam' pro 'tuam famulam.' — IV, 1 (4) 22 'tibi permutandus' pro 'permutandus tibi.' — 13 (51) 36 'teli iactum' pro 'iactum teli.' — V, 10 (28) 2 'fortunae veneratio' pro 'veneratio fortunae.' — 11 (30) 6 'alienigena et externus' pro 'externus et alienigena.' — VI, 3 (8) 12 'imperium Persarum accipit' pro 'Persarum accipit imperium.' — VII,

6 (27) 21 'eius iram' pro 'iram eius.' — 11 (41) 8 'me aequales et' pro 'et mei aequales.' — X, 9 (28) 4 'suo sine capite' pro 'sine suo capite.' Restant ii loci quibus librarius cod. Flor. B Curtii verba additamentis eo consilio deformavit, ut ea ad vulgaria grammaticorum praecepta adcommodaret vel orationem elegantiorem redderet vel lacunam expleret: cuius rei exempla adnotavi haec: III, 3 (8) 20 'ex argento' pro 'argento.' — 6 (14) 7 'rex incumbebat' pro 'incumbebat.' — IV, 1 (2) 10 'Dareus Cedes' pro 'Dareo.' — 2 (9) 15 'in gravi sibi' pro 'magno sibi.' — 3 (12) 4 'at hii qui dissiluerant' pro 'at qui desiluerant.' — V, 5 (18) 15 'trahimus non solum nobiscum' pro 'trahimus nobiscum.' — 13 (36) 9 'qui Bessi' pro 'Bessi.' — VI, 1 (2) 14 'se sensit' pro 'sensit.' — 5 (14) 1 'iamque rex' pro 'iamque.' — VII, 2 (7) 13 'cum tum exsanguem' pro 'cum exsanguem.' — 8 (34) 20 'haberes succurrit' pro 'haberes.' — 9 (37) 9 'non consurgit' pro 'consurgit.' — VIII, 3 (11) 5 'abire e conspectu' pro 'abire conspectu.' — 13 (46) 18 'procul in insula' pro 'procul insula.' — 14 (51) 41 'quod malum, inquit, quae amentia' pro 'quae, malum, inquit, amentia.' — IX, 1 (2) 8 'Poro amneque' pro 'Poro amne.' — 1 (5) 24 'excresset vel excellet' pro 'excellet.' — X, 2 (10) 21 'ut oportet' pro 'operis.' — 5 (14) 2 'rex aspexit' pro 'respexit.' — 8 (26) 11 'erant vel essent' pro 'essent.' Addam iam his locis eos quibus Zumptius additamenta cod. Flor. B in textum recepit, quippe qui putaret verba in codicibus optimis (Bern. A Leid. Voss. 1 Flor. A) omissa deesse non posse sed plane necessaria esse: III, 7 (17) 6 'quem praemi-

serat.' — 13 (35) 14 'expers fuit.' — IV, 4 (18) 8 'impulsa est.' — 5 (21) 3 'mentis affectu.' — 10 (42) 29 'ut hanc vicem restitueres saevitiae meae.' — V, 5 (17) 3 'regis istius magis quam.' — 8 (25) 13 'possit nec.' — 13 (35) 3 'non equidem vinetum regem.' — VI, 9 (35) 26 'repente non reum quidem.' — VII, 5 (22) 22 occupatos esse et vinctos teneri.' — 10 (39) 4 'qui ut per interpretem.' — IX, 7 (27) 7 'salutis suae est.' — 7 (29) 19 'convenerat multutido.' — 10 (42) 26 'item in vehiculis.' — X, 5 (16) 14 'a iusto rege.' — 6 (19) 8 'hocine uno an pluribus.' Sed parum certa codicis auctoritas minime firmatur his locis: pro meris enim coniecturis habendae sunt hae lectiones, quae modo in textum recipiendae modo respuendae sunt, prout lenior mutatio invenitur necne. Cuius rei duo adferam exempla: III, 7 (17) 6 in codd. opt. (Bern. A Voss. 1 Leid.) haec leguntur: 'ibi Parmenio regi occurrit: praemiserat ad explorandum iter saltus, per quem ad urbem Isson nomine penetrandum erat': in his verbis iam Itali (Flor. BDFGHI Bern. B) haeserunt, qui locum addito 'quem' ante 'praemiserat' sanare conati sunt, quos et ceteri editores et Zumptius propter auctoritatem cod. Flor. B secuntur. Atque sane quamquam Curtius saepius pronomen relativum omittere solet [cf. Zumpt. ad III, 13 (33) 5 et VI, 4 (10) 6], tamen h. l. omissio iusto durior mihi videtur, quod subiectum quod vocant non idem remanet atque in superiore periodo. Sed probabilius quam Itali scriptoris manum restituere mihi videor, cum sic scribendum esse conicio: 'ibi Parmenio regi occurrit: praemissus erat ad explorandum iter saltus, per quem ad

urbem Isson nomine penetrandum erat.' Accedit quod hoc modo multo elegantior fit eratio: nam repetitum pronomen relativum ('quem — per quem') valde displicet: solet autem Curtius eleganter scribere. Saepius deinde in codicibus cum omnium scriptorum tum Curtii vel syllabae vel voces eisdem litteris incipientes exciderunt. Alter locus extat IV, 4 (18) 8 (ubi Macedonicarum Tyriarumque navium concursus describitur): 'iamque ea quae non cohaerebat libero inpetu evecta in aliud quinqueremis latus invehebatur, cum opportunitate mira triremis e classe Alexandri in eam ipsam quae quinqueremi inminebat tanta vi inpulsa est, ut Tyrius gubernator in mare excuteretur e puppi': ita vulgo editur planissima sane sententia, quam lectionem Zumptius maxime propter auctoritatem cod. Flor. B retinuit. Sed consentiente testimonio codd. opt. (Bern. A Flor. A Leid. Voss. 1) haec in codice archetypo scripta fuisse evincitur: 'iamque ea quae non cohaerebat libero inpetu invecta [Voss. 1 'impetula enuecta'] in aliud quinqueremis latus invehebatur cum opportunitate mira triremis e classe Alexandri in eam ipsam quae quinqueremi inminebat tanta vi ut [*om.* Flor. A] Tyrius gubernator in mare excuteretur e puppi', unde lemissima mutatione (nam praeter aliam periodorum distinctionem vocem 'cum' in 'tum' inmuto) scribendum esse conicio: 'iamque ea quae non cohaerebat libero inpetu invecta in aliud quinqueremis latus: invehebatur tum opportunitate mira triremis e classi Alexandri in eam ipsam quae quinqueremi inminebat tanta vi ut Tyrius gubernator in mare excuteretur e puppi.' Similiter Ieepius

optime succurrit duobus locis V, 5 (17) 3 (ubi corrigendum est: 'nullam virtutem regis iustius quam celeritatem laudaverim') et IX, 7 (29) 19 (ubi scribendum esse coniecit: 'ingens vis militum, inter quos erant Graeci, Dioxippo studebant'). Itaque codex Flor. B quoque interpolationem perpessus est, licet initia tantum interpolationis in eo appareant et careat illa labe quae inde a saeculo XV cum omnium scriptorum tum Curtii codices corrupit. Sed a reliquis omnibus Curtii codicibus segregandus et in sua familia ponendus est Flor. B: vehementer autem suspicor e codice Bern. A eum esse descriptum, cum haud paucis locis illius et manus secunda et insigniores calami lapsus cum scriptura codicis Flor. B conveniant [cf. IV, 15 (59) 29. V, 8 (25) 13. VI, 4 (13) 24. 5 (17) 19. 9 (35) 26. 10 (40) 34. VII, 2 (7) 16. 3 (12) 9. 5 (22) 21. 10 (39) 4. VIII, 1 (1) 6. 1 (4) 32. 4 (14) 2. 10 (34) 4. 10 (35) 10. 10 (35) 12. 10 (38) 34. 12 (43) 13. IX, 1 (4) 19. 7 (27) 7. X, 6 (19) 8. 7 (23) 8. 10 (30) 4. 10 (31) 19].

Inde autem intellegitur, non recte a Zumptio Muetzellium, virum doctissimum et de Curtio emendando optime meritum, oppugnatum esse qui putaret interpolationis originem saec. XV superiorem esse: nam cod. Flor. B evincitur interpolatum textum certe iam saec. XIV tractatum esse. Sed adhuc antiquior est interpolationis origo, si recte Zumptius (praef. p. X) tres codices bibliothecae caesareae Parisiensis numeris VMDCCXVI, VMDCCXVII, VMDCCXVIII signatos libris deterioris familiae ascripsit: nam horum codicum priores duos saec. XII et tertium saec. XIII exaratos esse docet Catalogus codd. mss. bibl.

reg. Paris. III, 4 p. 151. At cum hucusque duo capita tantum libri septimi, VII, 5 et 6 (20—28), collata sint (nam Lemairii editione Curtii ad codices Parisinos recensita cum varietate lectionum uti nondum mihi contigit, sed libenter credam Muetzellio (praef. p. XVIII) hanc collationem tam leviter inconstanterque institutam esse ut nihil certi inde discamus), Zumptii iudicium de interpolatione codicum Parisinorum probare non audeo, quamquam sane cod. Paris. B (VMDCCXVII) aliquot locis cum Flor. B conspirat, ut VII, 5 (21) 13: 'ipsos' Zumptius: 'eos' Paris. B Flor. B. — 5 (22) 21: 'cogitatae' omittunt Par. B Flor. B Bern. A. — 5 (22) 26 'animos' Flor. B Paris. B pro 'animi.' — 5 (23) 27 'equiti' omittunt Paris. B Flor. BA. — 6 (26) 11 'urbi relicto' Paris. B Flor. BA pro 'urbis relicto.' — 6 (26) 13 'elegerat' Zumptius Paris. B Flor. BG, 'eligeret' codd. opt. (Bern. A, Flor. A Leid. Voss. 1). — 6 (27) 21 'eius iram' Paris. B Flor. BG pro 'iram eius.' At extant quoque loci quibus solus Flor. B a codicum optimorum scriptura recedit, ut VII, 5 (23) 27 'relictis' pro 'electis.' — 6 (26) 11 'Abiorum' Zumptius Flor. B, 'Aulorum' codd. opt. cum Paris. — 6 (27) 21 'iussit et deleri' Zumptius, 'possit delectae' codd. opt. cum Paris., 'possit delectos' Flor. BG. — 6 (27) 22 'eo' Zumptius Flor. B: 'in eo' codd. opt. cum Paris. In dubio igitur haec de codicibus Parisinis quaestio relinquenda est. Sed cum ad codices Parisinos pervenerimus, haud abs re videtur esse pauca addere de antiquissimo illo codice Parisino cuius mentionem fecit Bernardus Montefalconius: is enim in palaeographia graeca (praef. p. II) narrat in bibliotheca

Colbertina extare codicem Q. Curtii qui annos octingentos i. e. omnium nostrorum codicum aetatem superet. Sed videtur vir clarissimus et alioquin huius rei peritissimus errare: nam quem iam supra laudavi Catalogum codd. mss. reg. bibl. Paris. (cui bibliotheca Colbertina addita est tota) nullum codicem adfert saec. XII superiorem[1]). Accedit aliud: Bentleius, vir summus, qui tam antiqui codicis cupiditate incensus a iuvene quodam Parisiis degente petiverat ut illum codicem conferret (cf. Mus. Rhen. vol. VIII p. 14), id inpetrasse videtur: Wakefieldus enim et in silva critica et in editione Lucretii aliquotiens duorum Curtii codicum conlationes Bentleianas penes ipsum esse dicit, quorum, ut ex adnotatione Wakefieldi ad Lucr. IV, 692 adparet, alter erat Florentinus (sine dubio idem quem littera A notavit Zumptius), alter Colbertinus IIIIMLXXXXVIIII, quem eundem esse atque Zumptii Paris. A saec. XII (VMDCCXVI) persuasum mihi habeo. Ceterum eis scripturis quas Wakefieldus protulit adducor ut credam hunc codicem optimis esse ascribendum[2]).

---

[1]) Vereor ne auctoritate Catalogi deceptus sim, nam Fridericus Duebnerus, vir clarissimus, cuius iudicio in tali re plurimum tribuendum est, codd. VMDCCXVII et VMDCCXVIII saec. X exaratos esse adfirmat in Iahnii annal. philol. vol. XVI p. 313.

[2]) Hoc loco non possum quin errorem Godofredi Bernhardyi corrigam: is enim rettulit (hist. litt. lat. p. 622 ed. III.) Curtii libros per mediam aetatem frequenter in scholis lectos esse. Sed erravit vir doctissimus cum Funccio (de immin. lat. lingu. sen. IX, 24 p. 511), unde hoc depromptum est: nam Petrus Blesensis (cuius testimonio illud Funccii Bernhardyique nititur) haec scribit ad archidiaconum Nannetensem (ep. CI): 'praeter

Ieepius (l. l.) etiam integritatem cod. Vossiani primi in dubium vocavit: sed ei non prius adsentiri audeo quam accuratiore quam Snakenburgiana conlatione uti possumus: nam ille in indicanda codicis varietate non solum multa silentio praetermisisse, sed etiam aliquot locis sigla codicum inter se conmutasse videtur: obstare vero Ieepii opinioni videtur, quod librarius hebetis ingenii nec latinae linguae satis gnarus erat (nam Zumptii verba praef. p. XIV: 'Voss. 1 ceteris codd. opt. vitiosior' maxime ad menda orthographica et similia spectant), ut non credam eum mutasse aliquid consulto. Nec fefellit me opinio. Nam cum dudum haec scripsissem, insigni benevolentia ac favore Caroli Sintenis, viri egregii et de me optime meriti, factum est, ut feriis aestivis huius anni ipsum codicem a Pluygersio doctissimo bibliothecae Leidensis praefecto Servestam Anhaltinorum humanissime transmissum conferre possem: qua de re duumviris clarissimis hoc loco gratias ago quam maximas. Ille codex membranaceus Isaaci Vossii quondam nunc in bibliotheca Leidensi adservatur inter codices latinos Vossianos formae quadratae numero XX

---

ceteros etiam libros, qui celebres sunt in scholis, profuit mihi frequenter inspicere Trogum Pompeium, Iosephum, Suetonium, Hegesippum, Q. Curtium, Corn. Tacitum, Titum Livium, qui omnes in historiis quas referunt multa ad morum aedificationem et ad profectum scientiae liberalis interserunt.' Contigit igitur Q. Curtii libros inspicere Petro Blesensi, ut Ioanni quoque Sarisberiensi, magistro eius, quod inepte nuper Schaarschmidtius (mus. Rhen. vol. XIV p. 205) negavit: scire enim velim unde ad hos viros notitia Curtii antea ignoti pervenerit nisi ex inspectis eius libris, cum constet antea Curtii historiarum conmemorationem inveniri nullam.

signatus: constat autem tribus partibus, quas iam saeculo XIV coniunctas fuisse docent quae scripta sunt pagina quarta in margine inferiore a manu saec. XIV: 'in hoc libello continentur liber de regibus assiriorum et captivitate troie et inicio romanorum. hystoria curti rufi plures continens libros quorum tertius est primus. liber Esopi cuiusdam greci fabulatoris de ortu et actu et fine alexandri magni macedonis. opuscula de libro hystoriarum horosii excerpta et in unum breviarium collecta.' Atque prima pars constat octo foliis sive schedis saec. XII scriptis, quarum pagina unaquaeque bipartita in singulis laterculis habet versus XXVI, continetque fol. I CAPITULA CHRONICI HIERONIMI, quorum tamen omnia fere ita evanuerunt ut nunc vix quicquam dignosci possit praeter ipsam inscriptionem et 'abraham' et 'moyses' nomina. fol. I VS. LIBER DE REGIBUS ASSIRIORUM ET CAPTIVITATE TROIE ET INICIO ROMANORUM. fol. II VS. HISTORIA DARETIS FRIGII DE ORIGINE FRANCORUM · V, sed in fine fol. VIII vs. oratio in media periodo desinit his verbis: 'theoderico velociter.' Tum secuntur a fol. IX usque ad fol. CI VS. CURTI RUFI HISTORIARUM LIBRI saec. X scripti. Tertia denique pars paullo antiquior XLII schedis continet haec: fol. CII LIBER ESOPI CUIUSDAM GRECI FABULATORIS PROSAICO AEDITUS STILO DE ORTU ACTUUE AC FINE ALEXANDRI MAGNI MACEDONIS (i. e. Iulius Valerius, cf. Pseudocallisth. ed. Mueller. praef. p. VIII sq.). fol. CXVI ALEXANDRI REGIS MACEDONUM ET DINDIMI REGIS BRAGMANORŪ DE PHYLOSOPHYA PER LITTERAS FACTA COLLACIO. fol. CXXI VS. AEPISTOLA ALEXANDRI MAGNI AD ARISTOTELEM MAGISTRUM SUUM DE ITINERE VEL DE SITU INDIE. fol. CXXIX

VS. OPUSCULA DE LIBRO HISTORIARUM OROSII EXCERPTA ET IN UNUM BREVIARIUM COLLECTA. fol. CXLI CHRONICA ISIDORI DE ANTIQT. (sed fol. CXLII et maxime CXLIV valde lacerata sunt).

At redeamus ad alteram partem quae Curtii historias continet. Ea igitur saec. X scripta ab uno fere librario (nam quamquam septendecim, si recte observavi, locis aliorum librariorum ductus dignosci possunt, tamen hi quotienscunque paucos tantum versus scripserunt) constabat ab initio e schedis XCIV, sed ultima periit, unde factum est ut codex nunc desinat in verbis X, 10 (31) 13 'adtrectare eum' atque ea scheda quae cum evolsa cohaerebat — est autem prima fasciculi ultimi, cuius pagina versa tota vacua est post verba Curtii X, 3 (12) 14 'qui sub eodem rege victuri sunt,' ubi maior lacuna extat — non suo ternioni sed quaternioni undecimo adficta sit ab eo qui schedas in unum volumen coniunxit. Praeterea folii XXVIII maxima et fol. X dimidia pars evolsa est. Versus autem paginarum usque ad fol. XLII vs. sunt triceni terni, inde usque ad finem triceni bini. Verba quae in archetypo continuo ordine scripta erant librarius latinae linguae non admodum peritus saepe ineptissime disiunxit coniunxitve. Hic liber eo ipso quo scriptus est tempore ab altero librario correctus est qui verba litterasque ab altero omissa vel in margine vel inter versus supplevit atque insigniores lapsus calami emendavit eodem illo antiquissimo codice usus ut ex eis adparet quae eodem modo in ceteris codd. opt. scripta extant. Praeterea saec. XV homo quidam doctus aliquot locis explicationes insolentiorum vocabulorum locutionumque supra ver-

sum adscripsit orationemque commatibus aliisque signis distinxit: nam qui codicem exaravit tantum puncto interrogationisque signo usus est. Liber quintus cum sexto — id quod in omnibus codicibus factum esse observamus — coniunctus est, ita ut nullo spatio vacuo interiecto 'semiviri pugne discrimen' verba sese excipiant, sed in margine a correctore ascriptum est 'hinc deest.' Qua tamen re libros numerandi ratio non turbatur, cum in subscriptione huius libri recte extet: CURTI RUFI HISTORIAR̄. LIB̄. VI. EXPLICIT. INCIPIT LIBER SEPTIMUS. Atque conlatione huius codicis quam diligentissime potui instituta facile intellexi eum optimis esse ascribendum proximeque accedere ad cod. Bern. A. Nam loci illi a Ieepio adlati minimi sunt momenti cum Snakenburgius ne uno quidem veram scripturam exhibuerit. Atque undeviginti quidem locis Voss. 1 cum codd. opt. rem facit: uno vero loco [IV, 10 (43) 3] nunc dici nequit utrum codd. opt. an interpolatos secutus sit, cum fol. XXVIII fere totum evolsum sit; altero [VII, 2 (10) 37], ubi codd. opt. exhibent 'contumeliis', codd. interpol. 'contumelia', in Voss. 1 extat 'contumelias' qua in lectione interpolatio agnosci potest nulla; tertio denique [VII, 12 (30) 1] Ieepius cum Zumptio 'Pal. 1' et 'Voss. 1' sigla inter se confundente erravit. Neque magis alii loci, quas Ieepius adnotare omisit, valent. Ita IV, 1 (4) 22 Snakenburgius uberius exposuit in adnotatione Voss. 1 pro 'aeternisque' distincte habere 'terrenisque' eamque lectionem probandam esse: sed Voss. 1 cum codd. opt. exhibet 'aeternisque', cui saec. XV suprascriptum est 'consuetis.' Item IV, 6 (28) 31 in Voss. 1 non extat 'domitarumque' sed ut in ceteris codd. 'devictarumque.'

Porro IV, 10 (39) 6 Voss. 1 cum codd. opt. exhibet 'adversis dis' non 'adversus deos.' Atque omnino ii loci, quibus cod. Voss. 1 a codd. opt. recedit atque rem cum interpolatis facit, et pauci sunt et eiusmodi quales in omnibus codicibus inveniuntur. Recte igitur hunc codicem optimis ascribimus. Dixi autem eum proxime accedere ad cod. Bern. A, non quod putarem inter eos propiorem quandam quam cum ceteris codd. opt. cognationem intercedere, sed quod solus cod. Bern. A accurate hucusque videtur conlatus esse. Quare is non iusto audacius rem agere videbitur, qui ubicunque Voss. 1 et Bern. A inter se consentiunt, hos archetypi scripturam servare credit eosque sequitur. Veluti III, 1 (2) 12 in descriptione Gordii urbis haec eduntur: 'Gordium nomen est urbi quae Sangarius amnis interfluit pari intervallo Pontico et Cilicio mari distantem': sed cum Bern. A et Voss. 1 'praeterfluit', non ut ceteri codd. 'interfluit' exhibeant, praestat, opinor, 'praeterfluit' restituere.

Restant igitur ex quattuordecim codicibus qui paullo accuratius collati sunt, quattuor qui interpolatione carent: ceteri Sardi venales sunt alius alio nequior. Ipsos codices interpolatos iterum distinxit Zumptius: sed haec persequi inutile est, cum solus consensus omnium aut plerorumque, quippe qui demonstret, quid in codice eorem principe scriptum fuerit, aliquid ad codicis archetypi scripturam investigandum adferre possit. Moneo autem ut aliquot depravationis exempla omnibus codicibus interpolatis communia (exceptis codd. Flor. B et G de quorum origine paullo ante dixi) ex uno codice iam interpolato eos fluxisse doceant. Iam quo facilius per-

cipiantur quae de codicum origine dixi, tabulam cognationis codicum addam:

Codex archetypus

Leid. Voss. 1 Flor. A Bern. A codex ignotus et interpolatus

Flor. B Flor. G cod. ign. et interp.

codd. deteriores.

His expositis non difficile est intellectu quae ratio in emendandis Curtii libris sequenda sit: adparet enim, cum omnes codices qui supersunt ex archetypo fluxerint, ea quae Curtius scripsit non posse restitui, nisi quid in illo codice scriptum fuerit investigaverimus. Efficietur autem codicis archetypi scriptura aut ex consensu codicum omnium aut in dissensu utriusque familiae ex integris aut denique ex consensu alterius integrorum partis et interpolatorum. Sed codicem archetypum ipsum menda non pauca habuisse constat et supra aliquot exemplis demonstratum est. Constituta igitur codicis archetypi scriptura aut ipsa vera tenebitur aut si cum hac auctoritate ratio sive sententiarum sive sermonis latini pugnaverit coniectura verum exquirendum erit. Coniciendum autem est ex eo quod in codice archetypo fuisse repertum est. Nam quamvis codicum integrorum scriptura mendosa et interpolatorum per se recta sit: tamen tum demum hos sequi licet, cum ab eorum scriptura ita ut in integris factum est aberrari potuisse adparet. Menda enim codicum integerrimorum tamen veritatem retinent licet obscuratam: sed reliquorum codicum scripturae prae se ferunt fraudis suspicionem.

Absoluta hac de codicum origine quaestione de aliquot Curtii locis quibus Zumptium rem non recte

egisse puto dixi: sed quo minus haec adiciam, nimia commentationis moles prohibet. Itaque quarta fere dissertationis parte typis descripta reliqua ut edantur in posterum differo.

VITA EDMUNDI HEDICKE.

Franciscus Edmundus Hedicke, fidei addictus evangelicae, natus sum Servestae Anhaltinorum pridie calendas Septembres anni h. s. XXXX Henrico et Emilia e gente Geigerana parentibus optimis quibus utrisque superstitibus vehementer laetor. Litterarum primordiis imbutus anno L adii gymnasium quod floret Servestae Carolo Sinteni rectore: ubi qui litteris me erudiverunt praeceptores egregii iidemque dilectissimi, praeter Carolum Sintenim, virum clarissimum, Corte, Hammer, Kindscher, Kuehne, Mette, difficile dictu est quam benefici in me fuerint. Quo ex gymnasio ineunte a. LVIIII rite dimissus studiis philologicis et historicis operam navaturus primum academiam Gottingensem, tum Berolinensem petii: in quibus scholis interfui horum virorum clarissimorum: Boeckhii, Boppii, Curtii, Droyseni, Erdmannsdoerferi, Goschei, Hauptii, Iaffei, Koepkei, Messneri, Raumeri, Ritteri, Sauppii, Trendelenburgii, Vatkei: quibus viris omnibus ago gratias quam maximas, sed gratissima semper prosequar memoria Boeckhium Hauptiumque, quorum insigni beneficio inter sodales ordinarios seminarii regii philologici Berolinensis receptus nuperque seminarii senior nominatus sum, et Droysenum, cuius eximia comitate est permissum ut eius exercitationibus historicis interessem. Quorum praeceptorum excellentissimorum egregia erga me merita pluribus enarrare debitisque laudibus prosequi non est huius loci.

THESES.

1. Q. Curtius Rufus opus suum inscripsit 'Historiarum Alexandri Magni libri.'
2. Curt. III, 10 (25) 10 scribendum est 'nudosque colles.' — IV, 8 (33) 1: 'Alexander ab Hammone rediens ad Mareotin paludem haud procul insula Pharo sitam venit. Contemplatus loci naturam primum et q. s.' — V, 6 (21) 15 'cum se collibus inviis saeptos esse credidissent.' — VII, 11 (43) 29 'Artabazus in petrae regionisque quae adposita est ei tutelam relictus.' — VIIII, 9 (37) 25 'totis campis inundatis.'
3. Caes. de b. g. VI, 24, 4 scrib. 'nunc quidem in eadem inopia egestate patientia atque Germani permanent.'
4. Nep. Datam. 6, 6 scrib. 'Pisidae nova re conmoti in opinionem adducuntur perfugas mala fide de conpositoque fecisse ut recepti maiori essent calamitati.'
5. Liv. I, 38, 1 scrib. '[Egerius] Collatiae in praesidium relictus': libri 'in praesidio.'
6. Liv. XXXXII, 47, 6 scrib. 'religionis haec Romanae esse, non versutiarum Punicarum neque calliditatis Graecae.
7. Tac. ann. XV, 45 scrib. 'ille libertus cuicumque flagitio promptus, hic Graeca doctrina ore tenus exercitus animum bonis artibus non inbuerat': vulgo 'induerat.'
8. Ampel. VIII, 11 scrib. 'ex altera autem parte similiter si frices, ex se sanguinem remittit.'
9. Itin. Alex. 44 scrib. 'si Parmenion foret, oblata petiturum': vulgo 'oblaturum.'
10. Mommsenus (Roem. Gesch. III. p. 212 sq.) de forma civitatis Celtarum parum recte iudicavit.
11. Institutum quod vocant 'das Reichsregiment' a. 1495 ab ordinibus inperii Germanici propositum, a. 1500 a Maximiliano I sancitum commodo electorum, non omnino ordinum prospiciebat.
12. Spinoza haud recte putat cupiditatem esse adfectum primarium.